

tes earum^{r')} et adversum vos queri coeperint atque iurgari, respondebimus eis: Miseremini eorum. Non enim ceperunt eas iure bellantium atque victorum, sed rogantibus, ut daretis, et non dedistis, et a vestra parte peccatum est. Totum igitur istud rationabiliter provisum, rationabiliter factum, rationabiliter finitum, pro publica utilitate, publica auctoritate atque intercessione, ita singulare est et minime imitandum, vel potius mysticum, ut semel legatur gestum et nunquam ulterius iteratum.

CAPUT XVII. Quapropter, quod scriptura dei narrat ad memoriam pietatis vel ad commendationem mysterii spiritualis, absit, ut stulti et impudenti petulantia dissoluti usurpare permittantur ad exemplum vel defensionem suae procacitatis, ut putent se isto exemplo, cum non facile impetrant a parentibus, licere sibi rapere, quas voluerint, et postea complacatis^{s')} parentibus quasi legitimo eas matrimonio detinere, cum hoc, sicut iam dictum est, non sit scriptum ad exemplum, unde nec unquam postea est usurpatum, sed sit in his admirandae devotionis commemoratio et profundi mysterii commendatio. Et ibi quidem propitiato et placato omnipotenti deo, cuius cultu et honore totum gerebatur, sola parentum misericordia implorata est, ut parcerent illis ducentis viris, ne vel in hac parte inveniret in eis divinae legis aequitas, quod damnaret. Quamquam et a parentum parte vere peccatum esse videatur, quia in consulendo tantae et tam publicae necessitati duriores extiterunt in tantum, ut nec rogantibus primo dare voluissent. Hic vero deo exasperato et ad iracundiam provocato, cuius lex contemnitur, cuius ecclesia et sacerdotes conculcantur, cuius sanctum templum sacrilega et nefaria praesumptione violatur, qua stultitia atque dementia putant placatis et pacificatis parentibus pacatam se habere posse ecclesiam dei et eorum auctoritate stare posse confidunt, quod divinae legis et sanctorum patrum auctoritate destruitur, cum tantae praevaricationis et impietatis malum adversus deum et ecclesiam eius commissum nulla ratione, nullis argumentis emendari possit nisi omnipotentis dei et ecclesiae iudicio ac satisfactione? Ibi igitur ostendenda est tanti facinoris emendatio, ibi suppliciter venia postulanda, ibi sollicitate satisfactio exhibenda, id est in ecclesia dei apud sacerdotes dei, ubi solummodo veraciter obtineri potest et remissio peccati et propitiatio eius, qui offensus est, omnipotentis dei.

CAPUT XVIII. Adiiciunt istiusmodi homines malis suis etiam illam nimis audacem et puniendam praesumptionem, ut adulterinis et

r') eorum *Si*.

s') complacare *Bu*.